

W. Lyser
(J. Faber.)
de miraculis Christi
Marc. VII.
Witteb. 1646.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-228 4° 1312




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-228 4° 1312


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-228 4° 1312



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-228 4° 1312



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-228 4° 1312



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-228 4° 1312

1,-228.

DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°

1 1 01 0 4 01312 3

+REX

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-228 4° 1312

IN NOMINE JESU!

De

MIRACULIS CHRISTI,

Ex Evangelio Dom. XII. Post Trinitatis Marc. 7.

PRÆSIDE

WILHELMO LYSERO, D. & PP.

RESPONDENTE

JACOBO FABRO, DANO.

Publice disputabitur in Auditorio Theologorum
Sabbatho ante Dictam Dominicam.

WITTEBERGÆ,
Typis Johannis Rõhneri Acad. Typogr.
ANNO M DC XLVI.

407

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-228 4° 1312

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Viris Nobilitate generis, eruditionis, ac virtutis præſtantiſſimis

GUNDÆO ROSENKRANTZIO,

GEORGIO ROSENKRANTZIO,

ERICO ROSENKRANTZIO,

Incomparabilis Herois OLIGERI ROSENKRANTZII filiis, dominis ſuis ac Patronis omni obſervantiâ colendis.

P*Aucas, quas videtis pagellas, Viri Nobiliſſimi, quantâ poſſum obſervantiâ vobis in ſcribo: Importunè id quidem, nec ſatis prudenter aut circumſpectè à me factum exiſtimet, qui ſummum illud virtutum faſtigium, quod vos jam occupatis, aut neſcit, aut non intelligit rectè & æſtimat. Non in laudes heîc veſtras decurram,* Patroni ſummi, *ne in adulationis me ſuſpicionem induam, quam & conſummatiſſima virtus* Veſtra *deteſtatur, & ego deforme prorſus ac ſervile malum eſſe ab eruditis & bonis edoctus ſum. Nihil de exacta ac diffuſa eruditione* veſtra *dicam, ne in temeritatem incurram. Id ſine impietate quadam ac protervia taceri non poteſt, quòd cœlitus conceſſum vobis exiſtimo, neq; alios æquè quam divinorum virtutum divinos & ipſos hæredes decet, ut literas haud tantum Principesq; earum & optimates magni ſemper faciatis, ſed & cultores earundem & æmulos, conſiliis, factisq;, ſæpe etiam egregiis ſtipendiis ornetis pariter ac juvetis. Prorſus quaſi divinâ voluntate ad juvandas bonas artes unusquisq; veſtrum natus eſſet, raro profectò, & inſitato propemodum exemplo, nec luculentiori tamen, quam Maximi illius vereq; incomparabilis, nunc Sacroſanctæ apud eruditos omnes memoriæ Parentis veſtri* OLIGERI ROSENCRANTZII, *viri ſane, poſt mortem etiam (etenim dum vixit, fatente ipſa invidia omni laude major extitit,) in tantum laudandi in quantum cum ſumma pietate ac virtute ſumma literarum omnis generis, quibus cenſeri eruditio ſolet, peritia juxta atq; uſus intelligi poſſunt. Rapitur nempe ad ſimilitudinem ſuorum excellens quæq; natura, nec patitur vileſcere illud aut negligi, quidquid glorioſum patrarunt majores & ipſi undequaq; glorioſiſſimi. Hinc illa audacia mea, viri Maximi, & minus verecunda compellatio. Nempe cum ad maximos quosq;, eosdemq; & optimos & doctiſſimos nunquam non pateat aditus, facilè perſuaſit Excellentiſſimus Affinis meus,* Henricus Ernſtius *munuſculo hoc meo ſtudiis meis, quæ* Patronis *quammaximè indigent, Vos, uti* Ευεργέτας *quærerem. De humanitate Veſtra is prope ſecurum me reddidit, qui cum aliàs ſæpe, tum mihi maximè perfectum Humani exemplar animi in Parente V. Beatæ memoriæ, vobisq; ſimul monſtrare ſolet. Atq; is vir quidem cum eloquens alioquin ſatis ac diſertus ſit, neſcio tamen quî fiat, quod nunquam magis expeditam ipſi linguam audiverim, quam cum de Vobis ipſi ſermo eſt. Quod ergo tot tantisq; argumentis officium provocaſtis, id grata, benivolaq; ac humana, id eſt, propria Vobis fronte accipite. Cui & hoc accedit, quod tanto facilius commendare ſeſe vobis hæc de miraculis folia poſſint, quanto vos eſtis virtutibus omnibus præ cæteris magis admirandi. Atq; vel hac una de cauſa patiemini, ut à ſplendore gloriæ literariæ, qui in vobis ſummus eſt, eum decorem labor mutuetur noſter, quem in ſua induſtria non invenit, ut adſcititio honore placere cordatis poſſit, qui domeſtico non ſperat: ipſe quidem ille immortales virtutes illas quibus præminetis, æri pariter ac ferro inſculperet, nunc quod unum poteſt, nomen veſtrum ſi non ad æternitatem, certè ex officio præſcribit. Valete Bene. Dab. VViteb.*

Gener. Veſtr. humillimus cultor

Iacobus Faber.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-228 4° 1312

ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ.

Thesis I.

MAgnates Magnificis honorari titulis, improbari neqvit; ſancti illos & dederunt aliis *Act. XXVI. 25.* & ab aliis receperunt. *Gen. XLI.43.* Atqve deſumuntur iſti *Tituli vel à gratiâ* & clementia ut dicantur ἐυεργέται *L. XXII. 25. Gratioſiſſimi* clementiſsimi; vel *à potentiâ* atq; appellantur μεγάλοι *Mat. XX. 24.* δυνάςαι *Act. VIII. 27. Potentiſſimi* Invictiſsimi. Sed utraq; nempe & clementia & potentia eorum *dependens* eſt, qvod ipſi agnoſcunt, qvando *Nos DEI gratia*, ſuis nominibus præmittunt: Sicut & ejus admonet Regem Nabuchodonoſorem *Daniel II 37. DEUS cœlorum, regnum, potentiam & fortitudinem & gloriam dedit tibi*, vel ſi agnoſcere noluerint, impletum in illis mox cernitur iſtud *Luc. I. 52.* καθεῖλε δυνάςας ἀπὸ θρόνων, qvod ſuo proprio exemplo docet, ſupra dictus Aſſyriorum Rex. *Dan. IV.* Non ergo *Superlativi* hic abſolutum qvid notant, ſed valde *limitatam* & gratiam & potentiam, illam qvandoq; Luna (ita enim humana voluntas comparata eſt) mutabiliorem & in ſæviſsimam Tyrannidem degenerantem; aut in affectu ſine effectu conſiſtentem: hanc vero non ultra limites regni ſeſe extendentem, nec ſupra arenæ tumulos adſcendentem: imo ne in ipſis limitibus qvidem ſemper validam, vel hoſte fortiore ipſam dejiciente, vel ne ſubditis qvidem eandem agnoſcentibus, verum rebellantibus. Illi ipſi *Invictiſſimi & Potentiſſimi* Reges, exigua febricula vel puerili morbillorum morbo illos invadente, plane dejiciuntur, totiq; mundo qvam impotentes invalidiq; ſint oſtendunt. Ut ita honorificentiſsima elogia ſæpiſſime ſint inanis in aere ſonus, æriſq; tinitus & vanus ſine re titulus.

II. *Non ſicut hæc pars Jacob*, dicimus nos cum *Jeremia. c. X. 16. LI.19. & Iſrael virga hæreditatis ejus: Jehova exercituum nomen ejus. Secundum vero nomen tuum DEUS, ſic laus tua ſuper fines terræ: ipſe* acclamat Rex magnus *Pſ. XLIIX. 11.* Apud iſtos plus in verbis

qvam in rebus: hic vero verba, qvæ rem exhauriant, invenire impoſſibile. *Glorificantes Dominum exaltate, ait Jeſus filius Sirach.* Hieroſolymita *c. XLIII.32. Glorificantes Dominum exaltate, qvantum poteſtis, excedet enim & amplius. Et exaltantes eum multiplicate in viribus. Ne laboretis* (potius, ne fatiſcite ne delaſſemini cum *B. Luthero,* laſſet nicht abe ex altera vocis κοπιάω ſignificatione *Job. IV.6.*) *non enim aſſeqvemini. Qvis vidit illum & enarrabit? & qvis magnificabit eum ſicuti eſt.* ἀυτὸς ἐςι τὸ πᾶν dixerat. *v.29.*

III. Ipſe ergo ſicut *Rex Regum & Dominus dominantium* (reſpectu vero ipſius omnium ipſi ſervientium) vere eſt & recte dicitur: ita etiam omnia omnium Regum Elogia ipſi verè, & ſupra ſuperlativum, gradu infinities humanæ mentis aciem exſuperante conveniunt: Ipſe CLEMENTISSIMUS: Ipſe POTENTISSIMUS. CLEMENTISSIMUS ita, ut omnes modi benignitatis & clementiæ ei attribuantur, hinc dicitur *miſericors & gratioſus & longus narium, & multus miſericordia & veritate: ſervans miſericordiam millibus. Ex. XXXIV.6. Num. XIV.18. Pſ. XXCVI.15. CIII.8. CXLV.8. Nehem. IX.17. Joel. II.13. Jon. IV.2.* Ita clementiſſimus ut in *abſtracto* ſit ipſa clementia, ipſa benignitas, *caritas ipſa 1. Joh. IV.8.* eſt ergo non per aliqvod ſuperveniens, ſed per ipſam eſſentiam bonus; benignitas ipſa ejus eſſentia eſt. Magna ergo omnino eſt & vere magna, qvia tanta qvantus ipſe nempe *infinita.* Unde *Chryſ. Hom. 2. in Pſ. 50. Miſerere mei DEUS ſecundum magnam miſericordiam tuam. Dixiſti magnam, edicito qvantam. Qvanta ſit neſcio qvod grandis eſt, novi. Qvantum autem non valeo apprehendere, neſcio magnitudinis qvantitatem, non comprehenditur verbo.*

IV. POTENTISSIMUS idem eſt, ut omnia nomina potentiam robur & fortitudinem apud Hebræos ſignificantia eidem tribuantur, ipſeq; אֵל & אֵל שַׁדַּי *DEUS fortis & fortitudine ſibi ſufficiens* dicatur. Non eſt potens ſed *omnipotens* ὁ παντοκράτωρ, & qvidem *ſolus*: inde appellatur μόνος δυνάςης, *Tim. VI.15.* ab ipſo etiam Ethnico *Orpheo* apud *Euſeb. l.3. de Præpar. Evangel. c.3. Unus eſt Omnipotens.* Atqve ita omnipotens eſt ut omnipotentia ſit ipſa ejus eſſentia; ideoqve ſicut & iſta infinita: ſicqve Omnipotens eſt in ſeſe; ſed & Omnipotens eſt in omni objecto abſolute poſſibili etiamſi intellectum noſtrum excedat, potens enim

eſt

eſt ὑπὲρ πάντα ποιῆσαι ὑπὲρ ἐκπερισσοῦ ὧν αἰτούμεθα ἢ νοοῦμεν κατὰ τὴν δύναμιν *Eph.III.20.* Illam vero potentiam qvæ ſuperabundanter ſupra noſtrum captum & plusqvam poſſumus petere, poteſt; ad illam, inqvam, *& eloqvendam ſermo ſilet, & inveſtigandam ſenſus hebetatur, & complectendam intelligentia coarctatur*; ut illud *Hilarij, De Pat. & Fil. Unitate*, huc accommodemus.

V. In operationibus nobis utramqve manifeſtavit DEUS, ut qvam in ipſo ob noſtram incapacitatem comprehendere non poſſumus extra ipſum in operibus deprehenderemus. Demonſtravit *Poteſtatem & Dignitatem* in *Creatione*, ex nihilo qvæ ſunt creando, creata ſecundum Naturam ſuam conſervando, pro libera voluntate tamen qvandoqve eorum Naturam mutando. Iſtud in creatione, illud in conſervatione, hoc in miraculorum operatione perficit, ſeſeq; DEUM OPTIMUM MAXIMUM oſtendit. Demonſtravit *Potentiam* & multomagis *Clementiam in Recreatione*, filium in mundum è virgine mittendo, & ita ipſũ ordinem Naturæ immutando, ut finita Natura in infinita perſona ſubſiſteret, vita moriendo vitam repararet, & Humana Natura ad infinitam Majeſtatem divinam, ad ſalutem noſtram perficiendam, exaltaretur: Ut vero corda hominum ad fidem in Meſsiam adducerentur, maximis *miraculis*, (qvæ nihil aliud ſunt, qvam *infinitæ Potentiæ & Miſericordiæ* certiſsima *teſtimonia*) iſta omnia, ipſe Meſsias probavit atqve demonſtravit. Digna certè, qvorum Natura penitius à nobis conſideretur, ad plenius percipiendum *DEI noſtri & Chriſti infinitam omnipotentiam atq; clementiam*: Agamus ergo occaſione craſtini *Dominicalis Evangelii* (qvod *Marco* proprium ipſum compendioſum ex ſcriptorem Matthæi haut fuiſſe, oſtendit) ex Eodem.

DE CHRISTI MIRACULIS,

CHRISTUS JESUS Virtute divina verbi ſui, aperiat impedimenta noſtræ infirmitatis, ut divinam ipſius potentiam atqve gratiam, ex factis ejus agnoſcamus ſemper atqve celebremus.

VI. Cum mutum & ſurdum hunc ſanaſſet CHRISTUS, præcepit ſpectatoribus *ne cui hæc dicerent*, prohibet idem ſanato leproſo & qvidem cum gravi & cum irato geſtu conjuncta comminatione *Marc. I. 43. 44.* ſimilis prohibitio cū comminatione, duobus cœcis facta legitur *Mat. IX. 30.* & in caſu parallelo, qvamvis videatur interminatio ad dœmonia ſpectare *Marc. III. 12.* pater tamen *Matth. XII. 16.* prohibitionem iſtam generalem fuiſſe. In prima ergo cujuslibet thematis Tractatione, in qvæſtione An ſit, qværitur recte, atqve ita hic, *an de eo & nobis agendum ſit?* Sed facilis eſt Reſponſio; Alibi Salvator publicationem mandavit dœmoniaco ſanato Mar. V. 19. 20. cujus & obſeqvium ibidem laudatur: ſicut & laudem meretur, qvando ſub finem divina virtus publice ab hoc populo, deprædicatur. Non ergo *ſimplex & abſoluta prohibitio* cenſenda ſed cum certa limitatione accipienda: Vel *ratione ſubjecti* & perſonæ ad id non vocatæ *M. IX. 30* vel *ratione modi*, qvi alius præſcriptus fuerat *Marc. I.* vel *ratione finis*, qvi ob affectum indiſcretum, carnalia tantum ſpectabat *h. l. v. 36. Mat XII.* vel *ratione temporis* in ſtatu Exinanitionis. *M. XVII. 9.* Jam ergo cauſis iſtis deficientibus, ad gloriam glorificati Meſſiæ omnino pertinet, in Eccleſiis & Scholis Miracula Chriſti conſiderare & deprædicare.

VII. Qvod & nos hac vice facturi ea ita definimus. *Miracula Chriſti ſunt beneficia divina, ab eo propria & libera poteſtate, per humanitatem edita, Naturæ ordinem excedentia, Meſſiæq; gloriam demonſtrantia.* Explicamus jam ordine.

MIRACULA CHRISTI.

VIII. *Miracula*, ex v. 17. ἐκπληκτικὰ *obſtupefacientia*, ab *effectu* dici poſſent, ſicut *Philoni* θέαμα ἐκπληκτικώτατον dicitur. Ad verbum dicuntur θαύματα, qvod in admirationem homines rapiant: τὰ θαυμάσια *Matth. XXI, 15.* appellantur. Dicuntur etiam δυνάμεις *Efficacitates virtutes Matth. XI. 21. 23. XIII. 58. à cauſa Efficiente:* vocantur ἰάσεις *ſanationes* L. XIII. 32. *à certa materia:* appellan-

pellantur *παράδοξα Inopinata Luc. V, 26. à forma*: nominantur *σημεῖα ſigna à fine Matth. XII. 38. 39.* ut & *τέρατα portenta Job. IV. 48.* à ſubſecuturo *eventu* Nomen vero *Miraculi* accipitur vel latiſſime pro qvovis eximio opere, humana etiam induſtria perfecto, ſicut ita *ſeptem mundi miracula*, olim decantata erant: vel *late*, ut ſignificet tale opus, cujus vera cauſa nos latet, ut ita *falſa miracula*, per æqvivocationem ſic dicta, hoc nomine etiam inſigniantur, ſive non ſint id qvod videntur, glaucomate oculis objecto: ſive ſint, qvod videntur, non tamen per infinitam producantur potentiam, ſed per naturales nobis licet occultas cauſas. Vel *ſtrictè* & proprie dictum miraculum, qvod per infinitam virtutem perficitur, denotat *Scholaſtici* diſtingvūt inter *Mirabilia* & *Miracula*: *illa* appellant miracula qvoad nos, *hæc* miracula ſimpliciter: *illa* fiunt præter ordinem Naturæ alicujus particularis, qvantum ad modum faciendi, per incognitam nobis & inſtantaneam activorum ad paſsiva, modo nobis non apparente applicationem; *hæc* ſive in inſtanti ſive ſucceſsive, per operationem infinitæ virtutis, præter ordinem Naturæ creatæ vel qvoad hunc actum, vel totius qvandoqve, qvoad ipſum effectum. Vid. *Thom. part. I. q. 110. art. 4.* Nos inſuper addimus hic determinationis gratia, *Chriſti miracula* ut de veris & propriis, nos hic acturos conſtet; atqve in ſpecie de illis qvæ ad N. T. ejusqve initium ſpectabant, illiqve juxta prophetica vaticinia conjuncta eſſe debebant.

SUNT BENEFICIA.

IX. *Genus* hoc populus nobis ſuppeditat, *καλῶς πάντα πεποίηκε* inqviens. Miracula ergo ſunt *ποιήματα* & effectus operantis, ſicut omnes creaturæ ita appellantur *Rom. I. 20.* qvippe effectus illius, qvi & tunc omnia benefecit. Inde, miracula in genere *ἔργα* ſæpiſsime apud *Johannem*, qvinqvies uno *capite X.* & qvidem ab ipſis etiam Chriſti hoſtibus, appellantur ut & *ἔργα τοῦ πατρός Joh. VIII. 41.* qvæ *pater ipſi dedit J. V. 36.* & in genere *τὰ ἔργα τοῦ θεοῦ. Joh. IX. 3. ἔργα χριστοῦ Matth. XI. 2.* & Chriſtus appellatur *δυνατὸς ἐν ἔργῳ L. XXIV. 19.* Sunt vero ut opera ita & *miracula* DEI gemina, *qvædam iram*, *alia gratiam* ſpectant, utraqve

infi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-228 4° 1312

infinitam potentiam arguunt. Et iræ qvidem miracula in V.T. fuêre freqventia, facta illa in *aqva*, mundum primum delente *Gen. VII. in igne*, Sodoma evertente *Gen. XIX. in terra*, hiatu ſuo Coreh & ſocios abſorbente *Num. XVI. in aere*, lapidibus grandinis Cananæos interficientibus *Joſ. X, 11. in cœlis*, Sole & Luna ſtantibus qvoad usqve Cananæi conſumti eſſent. Hiſtoria Pharaonis cumprimis ejusmodi horrendis miraculis plena, qvæ decuplices Ægypti plagas pepererunt. *Exod. VII, VIII, IX, & ſeqq.*

X. *Novum Teſtamentum gratiæ* tempus eſt *2. Cor. VI. 1.* καιρὸς εὐπρόσδεκτος ἡμέρα σωτηρίας. De hujus Teſtamenti miraculis agimus ac proin *opera gratioſa*, definimus Scripturâ ipsâ eadem εὐεργεσίας beneficii nomine inſigniente *Act IV. 9.* unde Chriſtus εὐεργετῶν *Act. X. 30.* ab illis beneficiis appellatur. Hinc prohibet miraculoſe ignem de cœlo deducere, ad conſumendos Samaritanos, licet erga antea exhibita miracula ingratos, & urbe ipſum excludentes, qvod tamen fecerat Elias *2. Reg. I. 9.* Ad qvod provocantes inſignes duo Apoſtoli Jacobus & Johannes, ſe vere à Chriſto caſtigantur ἐπετίμησεν αὐτοῖς *increpabat eos*. Addita inſuper gemina ratione, qvod *tam* ſui, gratiam acqvirentis; *qvam Spiritus S.* gratiam applicantis, *officium*, ejusmodi iræ opera exſerere, non permittat. Permiſsio Dœmonibus facta ſues invadendi *Luc. VIII. 33.* ut & arefactio ficus *Matth. XXVII*, ſingulari de myſterio non in pœnam ex ira, ſed dehortationem hominum ex gratia profecta fuerunt. Spiritualia ergo beneficia, qvæ his ipſis continentur, uti & in reliqvis ſubintelligenda occurrunt *Matth. IIX. 17. IX, 2.* principaliter ſpectanda: hic ſurdo auditum etiam internum, ad verbum DEI recipiendum; muto loqvelam ad DEUM deprædicandum reſtituit. Alia ratio *ſecundi Adventus* erit, in qvo ira erga contemtores gratiæ effundetur. Tandem ſi qvis Miraculorum Chriſti genus Actionem gratioſam DEI virilem faceret, qvam optime genus determinaret.

DIVINA.

XI. *Cauſa efficiens* miraculorum vere & proprie ſic dictorum, *ſola divina & infinita potentia eſt.* Tempore *Auguſtini* aliqvi Deum

viſibi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-228 4° 1312

viſibilia miracula edere, negaſſe ob inviſibilitatem videntur: contra qvos *l.10.d.C.D.c.12.* ita ſcribit: *Non audiendi ſunt, qvi Deum inviſibilem viſibilia miracula operari negant, cum ipſe etiam ſecundum ipſos fecerit mundum, qvem certe viſibilem negare non poſſunt.* Et poſt pauca: *Qvamvis itaq; miracula viſibilium naturarum, videndi aſſiduitate viluerint: tamen cum ea ſapienter intuemur, inuſitatiſſimis rariſſimisq; majora ſunt. Qvapropter DEUS qvi fecit viſibilia cœlum & terram, non dedignatur facere viſibilia miracula in cœlo & in terra, qvibus ad ſe inviſibilem colendum, excitet animam adhuc viſibilibus deditam, ubi vero & qvando faciat, incommutabile conſilium penes ipſum eſt.* DEI ergo miracula agnoſcenda, in rerum creatione, conſervatione, immutatione; qvæ hic ſpecialiter à nobis attenduntur, atq; DEO ſoli & infinitæ ejus virtuti vindicantur. Unde non tantum Excluſiva prædicato additur, *qvod faciat mirabilia* לְבַדּוֹ *ſolus ipſe Pſal. LXXII. 18. CXXXVI. 4.* ſed etiam ſubjectum ita ab aliis tum negative tum excluſive diſcriminatur. *Pſ. LXXXVI. 8 10 Non eſt ſicut tu inter DEOS Domine, nec ſecundum opera tua. Qvoniam magnus tu, & faciens mirabilia: tu ſolus DEUS es.* Res ipſa idem teſtatur: vera enim miracula ſunt, qvæ præter ordinem Naturæ vi infinita fiunt: E. à ſolo DEO proficiſcuntur. *Nec* enim, ut ait *Maximus ſerm. de Epiphan. poteſt mutare Naturam, niſi qvi Dominus Naturæ.* Qvod omnino evidens, cum conſervatio Naturæ fiat per infinitam virtutem: utiqve nonniſi eadem vel æqve infinita altera, imò major (qvæ omnia dari, ſimpliciter impoſsibile) virtus ſit neceſſe eſt, qvæ conſervatricem hanc potentiam infinitam in ordinario ſuo curſu inhibere & mutare poſsit, *Tertulliano* proin *lib de carne Chriſti, plus eſt demutare Naturam, qvam facere materiam.* Ut ergo creationem opus divinum infinitæ potentiæ æſtimamus: ita & patrationem miraculorum ejusdem potentiæ infinitæ opus agnoſcamus.

XII. Occurrunt vero multa mirabilia in hoc mundo, inter ipſas etiam res naturales, perpetuo ſe eodem modo habentes, qvæ *excedunt vires mentis humanæ, ut eorum ratio reddi non poſſit*, prout loqvitur *B. Auguſtinus*, & catalogum eorundem bene longum texit *l. XXI. de C.D.c.5.* Et cum *c.6.* ageret de lucerna Veneris inex-

 tingvibili

tingvibili, ait: *aut in lucerna illa mechanicum aliqvid de lapide Aſbeſto, ars humana molita eſt, aut arte magica factum eſt, aut dæmon qviſpiam ſub nomine Veneris tanta ſe efficacia præſētavit.* Ut ita & naturalia, & artificialia, & magica, & immediate diabolica, imo & angelica virtute producta admiranda inveniantur, qvæ ordinem Naturæ in creatione inſtitutum haut mutant, nec infinitæ virtuti proin adſcribenda ſint: ideo diligenter in naturam vere divinorum miraculorum inqvirendum & qvomodo ab iſtis diſcernenda ſint, indagandum. Ubi ſane qvædam ſunt ſatis evidentia, ut ſolis ſtatio, retrogreſſus, maris diviſio, defectuum Naturæ in conformatione commiſſorum reſtauratio *Job. IX. 32.* illa omnia itidem qvæ in ſcripturis annotata, probatione non indigent. At vero ſi miracula in ſeſe conſiderentur, facilius qvidem dicere poſſumus qvæ ſint falſa miracula ſeu mendacii *2. Theſſ II. 9.* (Nempe qvando ratione *formæ* præſtigiæ interveniunt; ratione *finis* vero ad ſeductionem tendunt *Deut. 13. 1:*) qvam qvæ ſint vera miracula; cum Naturæ totius vires atqve ordo in creatione inſtitutus nobis non ſit penitus cognitus atqve perſpectus; ut evidenter ſemper ſcire qveamus, eſſe præter univerſalem Naturæ ſeriem, & ſupra omnes ejusdem vires; vel certe in hoc actu Naturæ vires, qvæ alioqvi id etiam efficere potuiſſent, adhibitas non fuiſſe. Sic natura gravium, ut ferri, eſt deorſum tendere; at infantem globulum, gigantem magnam molem, ſpiritum igneum (multomagis incorporeum DEO permittente) majorem tollere poſſe & projicere; imo & *ſimulacrum ferreum, lapidibus magnêtibus in ſolo & in camera proportione magnitudinis poſitis pendere*, ut *Aug.* iterum *l. 21. d. C. D. c. 6.* loqvitur, non eſt miraculum divinum: natare tamen ferrum, verum miraculum erat *2.* Reg. VI. 6. qvia à DEI viro, nullo naturali adhibito medio, id efficiebatur.

XIII. Illa ergo miraculorum divinorum certiſsima probatio eſt, qvæ ex verbo DEI deſumi poteſt, unde maxima illa Theologica obſervanda venit: *Miracula nihil probant ſine verbo.* Qvod & Pontificiis, *miracula Eccleſiæ Notam* conſtituentibus, opponere ſolemus. Eum enim in finem miracula à DEO adhibentur, ut primo negligentia hominum excutiatur mira videndo, audiant inde eo diligentius qvæ DEI nomine proponuntur & cum ſcri-

pturis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-228 4° 1312

pturis conferant, ſic miracula divina fuiſſe colligent, & ut ſigilla verbi habebunt & agnoſcent. Eleganter *B. Auguſt. l. 22. de C. D. c. 8: Hæc ut fidem facerent innotuerunt, hæc per fidem qvam fecerunt multo clarius innoteſcunt.* Atqve ita hodie qvando verbum DEI in Novum Orbem ad idololatras defertur, miracula vere divina patrari, noſtrates non negant; cum ad verbum DEI probandum à DEO concedantur, & per verbum DEI qvod vera ſint probentur.

XIV. Chriſti porro præſens miraculum, qvando ſurdo auditum, muto loqvelam verbo reſtituit; non fuit morbi ſanatio naturalis, ſiqvidem media qvæ adhibet(ſi meri hominis ſputum, digitus, vox fuiſſet) effectum iſtum, juxta ordinem Naturæ, producere non potuiſſent. Audientibus mandata per hominis vocem dari poſſunt; non audiens hominis mandatum, hautqvaqvam percipit, fruſtraqve ad non audientem verba imperativa proferuntur, fruſtra ad lingvam ligatam, etiam audientis, deferuntur. Sed nec diabolicis viribus & artibus, ſupernaturales illi effectus adſcribendi veniunt, qvod Chriſtus ipſe validiſsimis argumentis adverſus calumniatores ex debellatione Satanæ *M. XII. L. XI.* evicit. Relinqvitur ergo qvod per infinitā divinā virtutem, vera miracula ediderit; qvæ & cum verbo conjuncta fuerunt. Nos, qvi Chriſtiani ſumus, ex Evangelica hiſtoria, prædicationem de Chriſto Johannis Baptiſtæ, qvæ ſine miraculis facta; congregationem etiam primorum diſcipulorum, Chriſtum ut Meſsiam recipientium *Joh. I:* ipſum Chriſti primum miraculum *Joh. II. 11.* h. e. ſignum externum in oculos incurrens, præceſſiſſe *Matth. IX. 35.* & fundabantur illa Meſsiæ miracula in verbo V. T., in qvo prædictum hoc de futuro Meſsia fuerat, qvod ut DEUS, divina ſit editurus miracula *Eſ. XXXV. 4 5. Ecce DEUS veſter veniet, ipſe veniet & ſalvos faciet vos. Tunc aures ſurdorum patebunt, & dicet præconia lingva muti* Qvæ ipſa(ut & ſpiritualia miracula, ad qvæ externa omnia directa ſupra diximus) hoc inferunt: Ut *videant & ſciant & reponant, & intelligant pariter qvia manus Domini fecit hoc: & ſanctus Jſrael creavit illud. Eſ. XLI. 20.*

 A CHRI-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-228 4° 1312

A CHRISTO PROPRIA ET LIBERA POTESTATE.

XV. Vere Divina fuerunt miracula, qvæ Moſes Elias & Apoſtoli ediderunt. Ergone par ratio eorum qvoqve qvæ Chriſtus? *Photiniani* qvidem id ſtatuunt, atqve vel nullam vel gradualem differentiam admittunt; cum nos toto genere, prout principale ex ſe agens, ab inferiore per alienam virtutem operans differt, diſtare aſſeramus. Præterqvam enim qvod Chriſtus qvædam miracula, immediate divinam in ipſo Naturam probantia, ediderit, ut ſunt exſuſcitatio ſui ipſius, & Miſsio Spiritus S. qvæ nullus etiam ſanctiſsimus cum ipſo habere communia poteſt: in illis ipſis etiam operibus in qvibus *credentes eadem* vel *majora* faciunt *Joh. XIV.12.* Chriſti opera ab illis infinite diſtant 1. *Ob propriam potentiam*; Chriſtus enim ex propria infinita virtute miracula edidit, ac proin utitur verbis Imperativis Ephphata: vel ut in parallelo caſu ſurdi & muti dœmoniaci id exponit, *Mar. IX.25. Surde & mute ſpiritus ego præcipio tibi*: ex qvo imperandi modo colligit populus *Matth. VIII. 25. mare & ventos ipſius Imperio ſubeſſe.* Sicqve nota eſt ſupremi & illimitati dominii, qvod eodem modo ut Pater ſubjectas ſibi creaturas habeat: & per æternam generationem non ex adventitia aliena donatione, ſed naturali & eſſentiali proprietate, ταῦτα cum Patre atqve ὁμοίως operandi *Joh. V. 17.* potentiam acceperit. Unde & Apoſtolis poteſt conferre illam miracula διακονικῶς edendi virtutem, per potentiam alienam, illius qvi miracula faciendi poteſtatem, ex divina ubertate, aliis elargiri poteſt, ipſo etiam ut principali cooperante *Mar. XVI.20.* unde in nomine Chriſti miracula ediderunt Apoſtoli, *Act. III.6. In nomine Jeſu Chriſti Nazareni* h. e. ex ipſius authoritate, *ſurge & ambula.* Expreſſe proprietatem illius poteſtatis à ſe removent *v.12. qvid miramini in hoc qvaſi* ἰδίᾳ δυνάμει *fecerimus ambulare eum.* E contrario qvam ſibi potentiam negant ἰδίαν, Chriſti nomini vendicant *v.16. in fide nominis ejus, hunc qvem videtis & noſtis confirmavit nomen ejus & fides qvæ per eum, dedit illi integritatem hanc* 2. *Ob voluntatem liberrimam*, qvam Chriſtus in miraculis perpetrandis habuit, unde preces ad ſeſe dirigi permittit, illas admit-

tit

tit ſine iſta conditione, ſi velit is à qvo poteſtatem ex gratia faciendi habet; atqve ad alium nullum provocat, ſed ſolum ſuam voluntatem per verbum mandandi indicat: qva propter & ſuam illam voluntatem ab aliis in precibus attendi vult *M. VIII. 2.* ipſi ſibi vero in illa libertatem tribuit *Joh. V. 21.* In Apoſtolis & aliis *fides miraculoſa activa Matth. XVII. 20. 1. Cor. XIII. 2.* qvæ nititur alterius poteſtate & voluntate, reqviritur: ad Chriſti miracula tantum reqviritur *fides miraculoſa paſſiva Mar. IX. 23.* qvæ ſi abſit miracula non ita multa edit *Matth. XIII. 58.* aliqva tamen qvandoqve, veluti L. XXII. 5. ut appareat intermiſsionem non ex defectu poteſtatis; ſed voluntatis eſſe. 3. *Ob ſupremam gloriam*, qvam ſuam eſſe Chriſtus per iſta miracula demonſtravit *Joh. II. 11.* unde hic à populo admittit δοξολογίαν, *Omnia bene fecit*, qvæ ſolius DEI creatoris propria eſt *Gen. I. 31.* Gloriam vero ſuam DEUS alteri extra ſe non concedit *Eſ. XLII. 8.* Apoſtoli proin cultum divinum ob miracula ſibi exhiberi admittere, nec debuerunt nec voluerunt: qvod Paulus & Barnabas diruptis veſtimentis, magno cum clamore aſſerunt. *Viri qvid hæc facitis & nos mortales ſimiles vobis ſumus homines Act. XIV. 14.* Chriſtus vero ex ſuis inferri vult miraculis, *qvod ita à DEO ſit* ut nullus alius hominum *Joh. III. 2. IX. 32.* *qvod DEUS ſit* qvia patris opera faciat, *qvod ipſe & pater unum; qvod ipſe in patre & pater in ipſo; qvod DEO patri æqvalis Joh. V. 18. 36. X. 30. 32. 38. ut omnes honorificent filium καθὼς Patrem Joh. V. 23.* Qvæ omnia Chriſtum ex propria infinita virtute, miracula ſua edidiſſe evincunt.

PER HUMANITATEM EDITA.

XVI. *Calviniani ingenui* Humanam Chriſti Naturam aliqvid divini in miraculis egiſſe plane negant, *Danæus, Sadeel, Grabius, Polanus.* Et hic ſane *l. 6. c. 58. ſyntagm. vi humanæ Naturæ, naturalibus ejus viribus, miracula eam non edidiſſe* probare fruſtra conatur; cum nullus noſtratium id unqvam ſomniaverit; ſed qvæſtio hic ſit de communicata δυνάμει *Act. X. 38. Apoc. V. 12.* qvæ δύναμις θαυματουργικὴ ab humanitate egreditur *Mar. V. 30.* & per illam Imperativus humana voce editus, ſuam accipit efficaciam

ciam *Luc. IV. 36.* Abſit hic ut cum Calvinianis nonnullis dicamus, Humanitatem Chriſti tantum in hiſce inſtrumentum fuiſſe, auribus vel oculis hominum demonſtrans, qvid DEITAS λόγου efficeret! Abſit ut *Danæi* impiam approbemus vocem, ad miracula iſtam non plus contuliſſe, qvam virgam Moſis ad ipſius miracula. Itane de humanitate Chriſti, perſonaliter λόγῳ unita, ut de baculo Aaronis, de ſtipite, de trunco loqvi decet? Certe non illa de cauſa ſanctiſsimos digitos atq; manus hic adhibuit, inanus hominis viventis efficit opera animatæ ſubſtantiæ propria, qvia hominis animati propria: qvidni manus Chriſti omnipotentis DEI filii, opera divina vere perficeret? Non illæ manus vox atq; digiti ut nudi hominis æſtimandi ſunt. Sunt divinæ manus, ſunt digiti dextræ Excelſi, eſt vox omnipotens, vox vivifica; qvi enim ore loqvitur atqve manu tangit DEUS eſt, dextra DEI, virtus & vita eſt; Ideoqve tangendo & loqvendo ſurdo auditum, muto loqvelam, imo mortuo Lazaro vitam reſtituit: ideo *carnem* ſuam *vivificam* Salvator aſſerit. *Joh. VI. 51 55.* Hoc enim & ſimilibus miraculis, demonſtravit Salvator, in ipſo opere, veritatem iſtius effati, adeoq; ipſum nil qvicqvam continere, qvod non ſit ſalutiferum, ut ipſum ſputum vitam poſsit afferre, ſi velit. *Spuebat qvidem ut homo, ſputamentum tamen illud divinum erat, ſiqvidem per illam ſalivam oculos cœci ſanavit ait Athan. Orat. de blaſph. in ſpir.* Hinc *cognoſcit* ἐν ἑαυτῷ τὴν ἐξ αὐτοῦ δύναμιν ἐξελθοῦσαν. Marc. V, 30. & ait *tetigit me aliqvis: nam ego novi* δύναμιν ἐξελθοῦσαν ἀπ' ἐμοῦ. Utiq; humanitatem attinebat fimbria; qvæ Hæmorrhouſæ manu tangebatur; utiqve ſecundum Humanitatem, juxta ſtatus Exinanitionis conditionem & virtus exiit atqve cognovit, qvod aliqvis eum tetigerit, & qvod virtus exiret; utiqve ergo virtus illa per Pronomina ἐξ αὐτοῦ, ἀπ' ἐμοῦ ad eandem humanitatem refertur. Sicut ergo anima propter unionem actiones ſuas communicat corpori, & non niſi per corpus eas exſerit: ita propter arctiorem unionem perſonalem, Deitas operationes ſuas communicat Humanitati, & non niſi per illam eas exſerit, gloriaqve divinitatis per humanitatem refulget, qvod veteres ſimili de ferro cognito explicabant. Vid. *Gerb. Exeg. L. IV. §. 230.*

NATH.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-228 4° 1312

XVII. Ita objectum harum operationum determinandum eſt, alioqvi vera miracula non erunt: *Gratiæ opera*, ad Naturæ ordinem non ſpectant; male ergo à Calvinianis de gratioſa Chriſti vel Sacramentali corporis Chriſti præſentia hic agitur, qvamvis analogiam inter iſta & miracula agnoſcamus. *Præſtigiæ*, in qvibus nihil efficitur, ordinem Naturæ non excedunt, oculis tantum glaucoma objiciunt. *Ars* Naturam adjuvat, illa deficiente nihil porro præſtare poteſt. *Spiritualis creatura* omnem humanam exſuperat induſtriam, illâq; majora producere poteſt; ſicq; in aliqvibus Naturam prout nobis nota; non tamen prout à Deo ordinata excedere. Qvicqvid vero totum ordinem Naturæ à DEO in creatione impreſſū excedit, ut vel effectus talis ſit, vel effectus qvidem alias ſecundum ordinem Naturæ etiam produci poſsit, hic & nunc vero ita non producatur, hoc miraculum infinitæqve divinæ potentiæ opus cenſendum. *Prioris generis* miracula in ſanatione defectuum incurabilium, cumprimis qvi à Natura ipſa in prima conformatione commiſsi ſunt *Job. IX. 31.* occurrunt; *poſterioris generis* vero in ſanatione morborum, forte alias per medicamenta qvoq; ſanabilium, hic vero per media vel nulla vel verbalia vel ex Natura ad effectum vel certe tam cito producendum non comparata, ſublatorum. Qvod ſi noſter ſurdus & mutus ita natus, ad prioris generis miracula omnino pertinet tali ſtatim articulatam loqvelam conferre; qvamvis, ſi vel maxime ſuperveniens fuiſſet morbus, imo & naturalibus mediis alioqvi ſanabilis; hic tamen & mediorum & temporis ratio oſtendunt miraculoſam hanc actionem fuiſſe. Verus fuit morbus, nulla præter verba, ſputum, digitum adhibita remedia; nullæ hic præſtigiæ, nihil ſuperſtitionis, nihil doli, nihil Magicum, ut vel ex Magia naturali occulta remedia admota fuiſſent, qvod juxta leges hiſtoriæ utiqve alias Evangeliſta noſter addidiſſet. vel diabolica adhibita fuiſſent; cum dœmonis ſurdi & muti maleficia ſicut *Marc. IX. 25.* ita & hic deſtruat. Ergo relinqvitur qvod ordinem Naturæ hæc actio excedat, & ſoli infinitæ potentiæ non pro ſubjecti vel mediorum conditione, ſed juxta liberam

ram

ram voluntatem agentis, adſcribenda ſint; juxta qvam Salvator noſter vel ſolo verbo ſive præſens *Matth. IX.6.* ſive abſens *Mat. IIX. 13.* vel ſolo tactu ſive activo *Matth. VIII.15.* ſive paſſivo *Marc. V. 19.* vel adhibitis mediis ſive qvantitate *J. VI.10.* ſive qvalitate *Joh. IX. 7.* ad effectum illum producendum inidoneis; miracula Naturæ vires & ordinem excedentia liberrime edidit.

MESSIÆ QVE GLORIAM DEMONSTRANTIA.

XIIX. Meſſiæ temporibus miracula à Prophetis aſſignata *Eſ. XXXV.* qvod Chriſtus ſibi accommodat *Matth. XI. Luc. VII.21.* res ipſa atq; eventus demonſtrat *Matth. VIII.16.* Petrus approbat *Act. X. 38.* Eluceſcit ergo gloria Meſſiæ ex miraculis in eo qvod inde colligitur; 1. Jeſum Nazarenum *eſſe verum Meſſiam. Joh. II. 11. IX 3. XI.4.40.42.* 2 Eundem *eſſe verum DEUM Joh. V.17.* 3. *Humanitati divinam Majeſtatem eſſe communicatam*, & per illam ſeſe exerere *Joh. V.8 19.27.* 4. Ejus *Officium* eſſe, ex poteſtate qvam habet, homines à peccato liberare *Matth. IX.6.* 5. Ipſum & ante hæc beneficia corporalia hominibus *in creatione exhibuiſſe atq; in Providentia* etiamnum ſecundum Deitatem *exhibere* & ſecundum utramq; Naturam in ſtatu Exaltationis *exhibiturum eſſe* & eadem etiam *ſpiritualiter hominibus conferre.* Ita ergo hæc gloriæ manifeſtatio *in ſtatu Exinanitionis*, in ſcintillis qvaſi miraculorum, particulariter qvandoqve juxta ejus voluntatem emicuit, unde etiam & hic & alibi abſolute Univerſalis prædicatio prohibita: in *ſtatu Exaltationis*, qvando per Apoſtolos univerſale ejus dominium divinum, toti orbi manifeſtandum, fuit; univerſaliter per miracula apud incredulos, iſta ejus gloria confirmata qvoq; fuit; qva confirmatione perfecta totoq; mundo credente, finis iſte miraculorum eoq; ſpectantes promiſsiones jam plerisq; in locis ceſſant: & cum prodigia mendacii, AntiChriſto aſſignata *2. Theſſ. II*, ſi qvid mirabile contingat, probe ne decipiamur attendendum erit.

ΠΡΑΞΙΣ.

XIX. Faciant iſta *ad ſummam conſolationem* firmandamq; fiduciam

duciam erga Salvatorem noſtrum: *Multa ſigna fecit Jeſus, hæc autem ſcripta ſunt ut credatis, qvia Jeſus eſt Chriſtus filius DEI & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus Joh. XX. 31.* Huc huc omnia miracula Salvatoris tendunt, ut fidem in eum confirment, & ſpem ſalutis corroborent. Hæc eſt *lingva mimculorum*, de qvâ *Augu in. Tract. XXIV. in Joh. Interrogemus ipſa miracula, qvid nobis loqvantur de Chriſto, habent enim ſi intelligantur lingvam ſuam. Teſtes* ſunt, qvi Chriſto *teſtimonium majus qvam Johannes habuit* præbent *Joh. VI. 36. Signa* hæc ſunt, qvibus Meſsias Meſsiæqve ſpiritualia beneficia deſignantur *Eſ. XXXV. XII. Sigilla* ſunt qvibus veritas de Chriſto obſignatur, dicente Chriſto *Joh. VI. 27.* Τοῦτον γὰρ ὁ πατὴρ ἐσφράγισεν ὁ θεός. *Radii* ſunt qvos *Sol juſtitiæ, in cujus alis ſanitas Mat. IV. 2. oriens ex alto L. I. 78.* adventu ſuo ſparſit. Sunt *aurei annuli digitorum Meſsiæ*, ſurdi muti atq; cœci digitis ejus ſanati: *Manus ejus circuli auri pleni in Tharſis Cant. V. 14.* Tharſis eſt nomen Turcici, hyacinthi vel alterius gemmæ coloris cærulei. *Color cæruleus* Turcici, monſtrat divinam potentiam, in miraculis effulgentem: *Digiti* qvi geſtant humani, indicant ejus humanitatem, fratribusq; ſubveniendi promtam voluntatem: *Aurum*, medicina ſumma, cui incluſæ gemmæ digitiq; ornati, oſtendit ad nos emergentem utilitatem. Has manus, hos digitos ornatos in Tharſis adhibet & nos ſeorſim ducit à mundo *per Pœnitentiam*; in *Abſolutione* imponit capiti, *Ephphata* dicit, vinculaq; omnia peccatorum ſolvit; ut ita per cœleſtes haſce manus gratia divina nobis ex ejus plenitudine Joh. I. 15. porrigatur atqve communicetur. Ergo agnoſcamus *DEUM in creatione* omnia bene feciſſe: agnoſcamus *Satanam in lapſu* omnia malefeciſſe: agnoſcamus & certiſsime credamus *Chriſtum adventu ſuo* omnia iterum benefeciſſe: agnoſcamus hoc atq; gaudeamus: *apparuit enim filius DEI ut opera Satanæ deſtrueret. 1. Joh. III.* & nos à vinculis Satanæ liberaret: à vinculis peccati per Remiſsionem, à vinculis mortis per Reſuſcitationem, à vinculis inferni per promiſſam glorificationem. Simſon noſter omnia vincula ſuis dirumpit manibus, *tanqvam lina combuſta igne Jud. XV. 14. qvemadmodum rumpitur filum ſtuppæ in odorando ipſum ignem Jud. XVI. 9. 12.* omnia ipſus nutui, verbo, digitis patent. Qvis ergo animum deſpondeat, tantum cum Salvatorem habeamus!

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-228 4° 1312

XX. Faciant porro ad *ſeriam adhortationem*, ut illum tot ſignis demonſtratum, tot miraculis comprobatum Meſsiam atq́, Salvatorem noſtrum agnoſcamus, admittamus, debitoq; cultu proſeqvamur. Si Salvator noſter eſt, ſalus ejus non repudianda eſt: ſi Medicus, Medicina adhibenda: ſi lux & via, ductus ejus ſeqvendus. *Seorſim ducit* ægrum, & nos ſeqvamur, exeuntes è Babylone *Eſ. LII. 10. 11.* è Sodoma cum Lotho *Gen. XIX.* è mundo conflagrationi proximo. *Ingemiſcit* propter noſtram miſeriam *interpellans pro nobis Rom. IIX. 34.* ingemiſcamus multo magis nos propter peccata noſtra in ſeria contritione; placet namq; DEO non vox corvina, ſed gemitus columbinus. *Suſpicit in cœlum* ipſe, ut oculos cordis noſtri per fidem elevet; dicamus proin ex *Pſ. CXXI. Levabo, CXXIII. Ad te levavi oculos meos. Sputum adhibet*; imo non ſputum ſed ipſum ſangvinem longe pretioſiſsimum *1. Pet. I. 18.* Sacramentis incluſit, debita ergo reverentia iisdem utamur. *Os aperit* & verbum ſuum profert *Ephphata* dicens: verbum ergo Chriſti diligenter audiamus, qvod ut audiremus primo aures creavit, & dein peccato obturatas, ſua gratia, per ipſum ſuum verbum reſeravit. *Os* viciſsim noſtrum *aperiamus*, & ſolutis per ipſius gratiam lingvæ vinculis, recte loqvamur, in precibus, in gratiarum actionibus, dicentes cum populo, *Omnia bene fecit*.

XXI. Faciant deniqve ad *ſeveram dehortationem*; ne ex una parte ſigna à DEO exhibita negligentes contemnamus: ne etiam ex altera parte curioſe ſigna & miracula poſcamus. Sunt illa liberrimæ voluntati divinæ relinqvenda, nihil hic ex noſtro arbitrio, nihil ob noſtrum commodum aut gloriam tentandum. Meſsiæ tempore miracula fieri debuerunt, qvæ & tum facta ſunt, & etiamnum ſuam vim obtinent. Ut enim miracula in legis promulgatione edita, legem etiam hoc noſtro tempore corroborant: ita in Evangelii prima promulgatione edita miracula, etiamnum ſunt valida, idem enim etiamnum Evangelium, in orbe Chriſtiano ſonat. Tentantes ſignum de cœlo petunt *L. XI. 16.* At Dominum DEUM tuum non tentabis. Matth. IV. 7. Antichriſti nota in fine mundi prodigia 2. Theſſ. II. Ergo per ſe, ſine veritate & conſenſu verbi divini nil probant: cum illo vero ne commercium habeamus ſummopere cavendum. *Lingvæ in ſignum*

ſunt

ſunt non fidelibus ſed infidelibus. I. Cor. XIV. 22 9. Si fidelis es ut oportet, ſi Chriſtum diligis ut diligendus eſt, non indiges ſignis, ſigna enim incredulis dantur, ait Chryſ. Hom. 23. in Joh. & Auguſt. 22. d. C.D. c. 8. qvisqvis adhuc prodigia ut credat inqvirit, magnum ipſe prodigium, qvi mundo credente non credit. Nos verbo credimus, ſignis ad doctrinam noſtram, verbo DEI congruentem probandam, in noſtris Eccleſiis opus non habemus. Sed expectamus usq; dum ultimum *ſignum filii hominis M. XXIV. 30.* appareat & ſepulchris noſtris *Ephphata* dicat, ubi priſtino nitori nos pleniſsime reſtituet, omnes defectus à peccato inductos tollet, oculosq; noſtros aures atqve ora ſpiritualitatis & gloriæ donis ita beabit, ut ipſum de facie ad faciem viſuri, audituri & in æternum glorificaturi ſimus, ſine fine cum omnibus electis ingeminantes *Bene omnia fecit & facit in immutabiliter bona æternitate. Ipſi laus, honor & gloria ſempiterna Amen.*

ΕΠΙΣΑΓΜΑ.

Occaſione præſentis materiæ *de Hornhuſanis fontibus* ſalutiferis non incommode videtur agendum.

1. Toti orbi notum *5. Martii* fontem primum inventum, in area diruti domicilii, fuiſſe; alium inſignem *24. Jun.* alium *2. Julii*, alios ſubinde plures (ut jam *viginti ſex* eſſe ferantur) & inter hos qvosdam *magno cum impetu*, idq; plerumq; *ſub ipſa hora precum* vel erupiſſe vel inventos eſſe: atqve licet *diverſi ſaporis & efficaciæ in ſeſe* ſint, in morbis tamen gravioribus *cœcitate* & ſimilibus tollendis, plures eundem exſerere effectum, idqve *paucarum horarum* qvandoqve intervallo; exſerere porro ſuam efficaciam *in morbis vi magica* de permiſsione introductis, in morbis qvandoq; è *contrariis cauſis* ortis *contrariaq; indicantia* ſubminiſtrantibus; etiam in morbis *à nativitate adhærentibus*. Viciſsim diverſis eodem affectu laborantibus, uni prodeſſe, alteri non item; & (ut Medicus aliqvis ob praxin in vicinia ſatis celebris referebat) DEI iſta opera cumprimis in pauperculis ſeſe exſerere, qvi in cibo & potu ſine diſcrimine aqvas adhibent, devota vero ſuſpiria & plurimas lachrymas iiſdem admiſcent. Atqve referunt iſta fide digni homines αὐτόπται, non negantes interim in tanta multitudine pau-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-228 4° 1312

perum eſſe qwoſdam qvi vel morbos ſimulent, vel de ſanitate falſò glorientur, ut homines pecunia emungant: omnium tamen ſupradictorum certa & evidentia adeſſe exempla atqve teſtimonia. Auget rem qvod etiam in Luſatia Miſnia Thuringia ſimiles fontes ex improviſo oriuntur & ſimiles effectus, in graviſsimis hactenus incurabilibus morbis edant.

2. Jam vero & noſtro hoc & præterito ſeculo paſsim, in Saxonia præſertim, tales ſalutares fontes exorti feruntur plures; inter qvos cum primis memorabilis ille, qvi *in comitatu Spiegelbergenſi An. 1556* M. Aprili ortus (anno anteqvam ultimus *comes Spiegelbergenſis* in prælio ad *fanum Qvintini* occumberet) de qvo *Spangenberg. in Chron. Saxonicis c. 391.* refert, qvod tantus ad eum confluxus populi factus, ut de hoſtili aliqva congregatione metus ſuboriretur: ſimilesq; fontes ſalutares Qvedlinburgi & Islebiæ Menſe Majo tum decantatos fuiſſe. Sed pleriq; illi brevi ut conſtat, vel exaruerunt vel vim omnem amiſerunt; atqve aliqvos ex illis, ob accedentes impios abuſus vim ſuam amiſiſſe, conſtans opinio eſt. Omnes tamen illi cum ſupra dicto non videntur conferendi, qvoad vim & efficaciam in tam variis & graviſsimis morbis atqve ipſius Naturæ defectibus, tollendis; ut & qvoad diuturniorem durationem.

3. Negari porro neqvit *fontes ſalutiferos qvosdam, ex naturalibus cauſis*, & multis & magnis morbis mederi. *Thermæ, acidulæ* ubi vis terrarum inveniuntur: qvas ex metallicis qvos perfluunt meatibus, magnam ſpirituum mineralium copiam adſciſcere, in dubium, unde multos alioqvi medicamentis haut ita facile curabiles morbos tollere paſsim videntur. *Bajani in Campania* cumprimis celebres; ſunt enim ibi ſcaturigines qvorum aqvæ vel vapores, ſeorſim oculis, auribus, naribus, toti capiti ſingulisqve membris, ſeorſim nervis oſsibus, medullis, cartilaginibus, carni atqve inteſtinis proſunt, apud *Leandrum, Megiſerum, Schottum* qvi refert Joh. Francis. Lombard. ſynopſin edidiſſe eorum *qvi de balneis & miraculis Puteolanis* ſcripſerint, tam proſa qvam carmine. Poſſent plura afferri ex *Plin. l. 2. c. 103. l. 3. c. 26. &c. Solin. c. 9. Senec. Nat. l. 3. c. 20 Iſidor. l. 13. c. 13. Ælian. l. 15. c. 5. Ariſtot. de admir. c. 216.* Atqve iſtud *generalis Providentiæ divinæ* donum eſt, qvæ ejusmodi medicinas

cinas

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-228 4° 1312

cinas ad miſerias humani generis relevandas, ordinavit. *Inventorem* illarum qvidam faciunt, *Ana*, unum ex poſteris *Seir Gen. XXXVII.24.* juxta *Vulgatam* ſc. verſionem, qvam non ſimpliciter improbamus h. l. ſicut & B. Lutherus in Comment. in Geneſin ſignificationem hanc admittit, qvamvis idem in verſione aliter reddiderit. Vox enim Monadica eſt in hac formatione, alioqvi proxime ad aqvarum ſignificationem accedit. *Cornel. à Lap.* vero inventū, de qvo ut primus gloriatur dum i.e. חימים חמא *calidus* ימים *aqvæ* pro חימם legit, qvia literas & puncta confundit, tranſponit, corrumpit, plane à nobis rejicitur.

4. Sed & dantur *fontes* qvidam *mirabiles ex diabolicis cauſis vim & efficaciam habentes.* Vel *ratione Magicæ originis:* Diabolus enim multa efficere & præſtare poteſt, DEO permittente, qvæ humana virtus efficere non valet; non qvidem Naturam mutando, ſed celerrime agentia ad patientia applicando, & ita effectum, ex naturalibus cauſis profluentem, promovendo: ſic ſangvinem pro aqva ſubſtituit, & ranas vel aliunde adduxit vel *earum* generationem promovit *Ex. VII. 12. VIII. 7.* ſic *Simon Majolus* ipſe, *Colloq. 13.* ad ſuperſtitionem Ethnicam refert, illum *Sardiniæ fontem* apud *Solinum c. 9. & Iſidor. l. 14. c. 6.* qvi oculis medeatur, & corrigendis furibus qvos excœcat valeat: qvod Satanæ DEO permittente facile & volupe eſt; forte etiā reliqvos ante ipſe cœcutire fecerat, ut dein vitiū oculis non amplius immittendo, tollere videretur. Vel *ratione malæ intentionis*, qvando res nova & mira atqve vel ex naturalibus exiſtens cauſis vel ſupernaturalibus etiam, *aut ad probandam falſam religionem dirigitur*, atqve tum vitanda *Devt. XIII. 1. aut qvando ad ſuperſtitionem invehendam*, re alioqvi bona homines abutuntur; qvem in finem Satanas, qvod alioqvi occultum fuerat, revelavit; veluti ſi qvis ſomnia ad religionem applicans, ex ſomnio ſalutarem fontē alicubi haberi cognoſceret, tunc ſtatuendum DEO permittente ad probationem hoc fieri: homines enim omnino, qvicqvid iſtorum eveniat, in recto tramite verbi divini permanere debent; nec pati ut ad falſitatem vel ſuperſtitionem ejusmodi mirabilibus dimoveantur. Optimam enim probationem in credendis & agendis verbum Dei ſuppeditat, qvod omnem errorem detegit.

 5. Nega-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-228 4° 1312

5. Negari vero etiam non debet dari *fontes ſalutares miraculoſos*, ut aqvis vel nullam vel certe non tantam efficaciam ex naturalibus cauſis habentibus, per voluntatem DEI vis aliqva ad ſupernaturales effectus producendos jungatur; veluti *aqvis Jordanis* ad unius hominis lepram tollendam *2. Reg. V. 14. aqvis Siloe* ad unius cœci nati oculos aperiendos *Joh. IX. 7. aqvis Bethesdæ* per angelum motis, ad primi ægri morbum qvemlibet tolleddum, *Joh. V. 4.* Huc pertinet *fons* ille in Palæſtina apud *Nicopolin*, qvæ ante *Emaus* dicta, de qvo *qvod revera ita ſe habeat Sozomenus l. 5. c. 20.* teſtatur; qvod Chriſtus ibi pedes cum diſcipulis aliqvando laverit, unde *vim acceperit, ut in eo non homines modo qvi ægrotant, loti curentur: ſed alia animalia qvæ variis morbis laborant.* Ejusmodi miraculoſi fontes & ſanationes ſemper cum verbo DEI conjuncti ſint neceſſe eſt, ſi ad probandam religionem ſpectare debent; ſine verbo enim ut non ſunt, ita etiam nihil probant; ſiqvidem ſine oraculo non credimus miraculo. Sic propheta Eliſæus, verbum DEI purum docebat, illudqve ut Helias contra idololatras miraculis probabat. Sic Meſsiæ tempore, cum ab eodem veritas doctrinæ ex Moſe & prophetis reſtauraretur, miracula etiam adeſſe debuerunt, ſicut utrumqve à Prophetis prædictum fuit; qvo ut reliqva ab ipſo Chriſto edita miracula, ita & motio aqvæ ab angelo, qvæ circa illa tempora non longe ante vel longe poſt contigiſſe legitur, & fons Emaunticus, referenda. Sub initium enim N. T. ad Eccleſiam primo plantandam inter gentiles, iſta miracula fuere à DEO conceſſa, qvod ſupra demonſtratum. Unde & in N. Orbe cum articulis veritatis Chriſtianæ qvando N. plantantur Eccleſiæ, miracula conjuncta, & à miniſterio non per omnia puro edi poſſe, & doctrinam extrinſecus probare, à nobis non negatur.

6. *In Eccleſia vero plantata*, in qva verbum DEI recipitur, ad dogma aliqvod probandum, miracula eſſe expetenda; vel ſi mirabilia qvædam eveniant, novum dogma extra DEI verbum confictum, probari poſſe, ſimpliciter negamus: Non tamen negamus DEUM etiamnum hodie juxta ſuam libertatem vera miracula edere poſſe, & per infinitam potentiam qvandoqve edere: Omnia qvæ noſtris temporibus portenta contigere, ſecundum

ordi

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-228 4° 1312

ordinarium Naturę curſum à naturalibus cauſis producta fuiſſe, ego haut dixerim. Signa extremũ diẽ proximè præceſſura, à Chriſto prædicta, qvædã miraculoſa futura, pii ſtatuunt Theologi. Et qvis negaverit nonnulla piis obtingere, preces qvoq; impetrare, qvæ Deus nõ perpetuo per cauſas naturales, ſed pro ſua libertate, qvã in moderando ſecundarum cauſarum curſu ſemper obtinet, qvandoqve mediante virtute angelica, qvandoqve immediate, per ſuam infinitam potentiam præſtat? Certe negare hoc ſimpliciter velle, præſumtione vel temeritate vix careret.

7. Ad *fontes* ergo illos *ſalutares Hornbuſanos*, qvod attinet, vim aliqvam naturalem ex mineralibus ortam, aqvas illas habere, ſapor, ſucceſsiva in qvibusdam operatio, membrorum penetratio, purgatio & ſimilia oſtendunt. Fortem inſuper imaginationem, ipſam medicamentorum virtutem ſuperare, & qvod illa non poſſunt præſtare, efficere qvandoqve certum eſt. Nos tamen morbos ubi contraria indicantia ſe offerunt; morbos partium contraria remedia poſtulantium, morbos cujusvis generis ſine diſcrimine; naturaliter non niſi univerſalem Medicinam, qvam lapidem Philoſophorum nobis nondum viſum, dicunt eſſe, tollere poſſe ſtatuimus. Multiplicatio fontium ſub ipſam precum horam, identitas effectuum, celeritas operationum apud qvoſdam, operatio freqventior apud pauperes, defectus ſanationis in ſimilibus morbis eodem licet remedio adhibito apud plurimos, aqvarum mutatio & augmentum qvandoq;, ablatio talium beneficiorum &c. aliqvid ſublimius inferre videntur. Supernaturales morbi, à Satana per DEI conceſsionem inducti, pure naturalibus mediis curari non poſſunt. Defectus naturales, ob virtutem πλαστικὴν deficientem, inde ab utero materno adhærentes, ſola infinita creatoris virtute miraculosè perficiuntur: qvod cœcus natus ſolide contra Phariſæos defendit *Joh. IX. 32. 33.* addimus nos cœcis, illos qvi à nativitate muti & ſimul ſurdi ſunt ex noſtro Evãgelio. *Crœſi filius* mutus, qvia habilis ad cætera, apud *Herod. L. 1. p. 40.* huc non pertinet. Cœci à *Veſpaſiano* apud *Tacitum l. 4. & Adriano*, apud *Ælium Spartianum* ſanati, juxta *Bellarmini* ſententiam ex Dœmonis inſeſsione tales fuerunt. Apud prædictum fontem non Ethniciſmus, non ſuperſtitio non nova aliqva doctrina pro-

batus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-228 4° 1312

batur; nec ergo aliqvid Dœmoniacum præſumendum, nec illum qvi aliqvid miraculi ſubeſſe poſſe cenſet, jure rephendere poſſumus. Præſupponentes ſemper, nos merito fidem certis hominibus iſta referentibus habere, qvi volumus ne alii viciſsim de noſtra dubitent fide.

8. Non poſſumus ergo etiam illos reprehendere, qvi *ſanitatis recuperandæ gratia, fonticulis iſtis utuntur*, dummodo legitimo id faciant modo. 1. *Sine levitate & temeritate*, qvą nulla DEI doną ſunt contaminanda; ſiqvidem ita DEUS ad iram provocatur̨, & vel conceſſum bonum tollit, vel permittit ut aut plane non proſit, aut ſi prodeſt gravior alia pœna ſeqvatur, 2. *Sine ſuperſtitione*, qvæ facile irrepere in ejusmodi extraordinaria poteſt; ideo tanto magis præcavenda. Certe ſi in Papatu ſimile qvid contingeret, qvot ſuperſtitionibus & idolomaniis corrumperetur, nec ſine iſtis ulli hoc medio & remedio uti liceret; atqve ita omnino plane noſtris abſtinendum foret. 3. *Recta cum fide*, præſupponimus *fidem ſalvificam juſtificantem*, qvæ peccatorum Remiſsionem̨ in Chriſti juſtitia apprehēdit, & in Dei gratia certa de ſalute æterna acqvieſcit: qvicqvid ergo terrenæ felicitatis illi vel contingit vel negatur, tanti non facit, ut de iſta ad minimum remittat Admittere etiam poſſumus *fidem miraculoſam non* qvidem *agentem̨* ſed *recipientem*. *Iſta* eſt certa fiducia ſingulariter à DEO donatą & verbo promiſsionis divinæ innixą, qvą in Eccleſia aliqvą plantandą, & veritate Evangelii, contra illos qvi verbum DEI plane negant, probanda, certo qvis confidit, non ex temeritate ſed ob urgentem neceſsitatem divinæ gloriæ & ſalutis aliorum̨, qvod divina potentia ad illius preces hoc vel illud omnino efficere & præſtare velit, de qva *1. Cor. XIII. 2.* agitur, huc vero non ſpectat, ut qvivis videt. *Miraculoſa* vero *fides recipiens* eſt, qvando liberrima DEI bonitas miracula alicubi oſtendit, ut homo tunc certo ſtatuat, & ſeſe illorum participem omnino futurum, ſi DEI benevola voluntas ipſi glorioſum ſibi vero utile futurum̨, cognoverit: de qva *Matth. XIII, Marc. VI.* hanc & Chriſtus ſanandos an credant qværens, una cum ſalvifica reqviſivit. Si cui aliqvod dubium adhuc hic ſubeſſe poſſet, certe is negare non poterit, fiduciam illam generalem, qvæ ad preces pro ſanitate recupe-

randa

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-228 4° 1312

ganda reqviritur, hic omnino adhibendam eſſe. Tali ergo cum fiducia, præſuppoſita vera fide ſalvifica, qvi vel ordinariis vel extra ordinariis mediis utitur, illi certe ea proderunt, ſi non ad corporis, omnino tamen ad animæ ſanitatem. 4. Patientia porro in protractione vel denegatione auxilii. 5. Gratiarum actio & debita deprædicatio; qvarum illa in omnibus bonis; hæc in omnibus bonis & malis ſemper adeſſe debent, hoc qvoqve loco non intermittenda.

9. Qvid tandem exinde expectandum ſit? ſi qværatur: Nos in præſentiarum *gratiæ ſignum* eſſe cenſemus: ſicut Medicinæ origo ad DEI bonitatem reducitur. *Syr. XXXVIII.* non tantum, qvo multis miſeris ſuccurratur ſed & cum vera Lutherana Eccleſia in hiſce turbis maxime prematur, ut ita qvaſi externam refocillationem aliqvam habeat; hoſtesq; porro experiatur impoſterum minus graves & infeſtos. Et ſi enim doctrinæ veritas inde non probetur; cum eadem & in illa & in noſtra Eccleſia ex verbo DEI ſatis probata ſit: adverſarii tamen externis ejusmodi à DEO Eccleſiæ conceſsis bonis permoveri debent, ad diligentius inqvirendum in noſtram doctrinam, ejusq; cum verbo DEI conformitatem: cum alioqvi ſi adhuc majora fierent mirabilia, non noſtræ doctrinæ ex illis, ſed prout & qvatenus cum verbo DEI convenit, fidem adhibendam eſſe ſtatuamus: Speramus etiam veram religionem amplectentibus pro futura illa beneficia ad freqventiora & ardentiora veræ pietatis exercitia; ne corporis ſublato morbo anima gravius laborare incipiat; ut melius fuiſſet nunqvam ſanari, meliusve eſſet morbum ſtatim redire. Nec vero imaginemur propterea nobis aureum ſeculum, ſine cruce Eccleſia non eſt, nec nos erimus: ægri à Chriſto ſanabantur; alia interim mala augebantur. Qvin imo cum mundus ſui ſimilis maneat, & ſicut verbum Chriſti, etiamſi miraculis illuſtraretur, à Judæis non recipiebatur; Germania qvoq; erga gratioſam à Deo conceſſam Evangelii lucem, ita ut Judæa ſeſe gerat, qvem alium eventum imaginabimur nobis, qvam qvod tanto graviores immineant pœnæ, & tempora everſioni Hieroſolymitanæ ſimilia? Qvapropter tanto magis ſeria pœnitentia agenda, pietati ſtuden-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-228 4° 1312

dum & precibus vacandum: præſertim cum dies extrema magis magisque appropinquet, & iſta extraordinaria bonitatis indicia ſicut primum ita & alterum Chriſti adventum inſtare indicent, quem graviſsima mala, & horrenda iræ divinæ ſigna juxta Scripturam præceſſura ſunt. Chriſti ergo monitum in memoriam nobis ſemper revocet:

VIGILATE.

MAgne DEUS, dum cuncta creas, tum qvicqvid ubiqve eſt,
Hæc qvicqvid mundi machina tota capit:
Terrasq; tractusq; maris, totumq; profundum,
Et qvicqvid preſſo pondere terra tenet.
Hoc homini prodeſſe datum eſt, hic unicus hæres,
Totq; operum ſolus tunc moderator erat.
Fatales obitus tamen, & mera funera reſtant
Et ſubeunt primum noxia fata locum.
Nulla hodie ſine labe manet pars corporis, ipſi
Ancipiti vitæ conditione ſumus.
Hic fluxus, ægrum ille latus dolet, iſte capillos,
Nunc illi tremulo pectore mamma ſalit.
Iſte caret viſu, ſolitâ caret ille loqvelâ,
Nec ſenſus ſtupidis auribus ullus ineſt.
Huic tenera immites urunt præcordia febres,
Hic tumet, & funus bajulat ipſe ſuum.
Iſte jacet totus, nil toto corpore ſani,
Et negat officium pesq; manusq; ſuum.
Langvida nunc poſcunt miſeræ ſolatia morti
Corpora, & expectat plurimus æger opem.
Hic tu divitias totumq; recludis Olympum,
Et qvæ cuncta juvent ſecula, fundis opes.
Tu miſeris benefacta palàm tua dividis ægris,
Et medici laudem, Magne creator, habes.
Sunt herbæ, ſunt mille artes, ſunt deniq; nobis
Pharmaca, qvæ morbis membra levare qveant.
Interdum humanâ major vis usq; ſtupendum
Ignotumq; arti perpetrat artis opus.

Ipſa

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-228 4° 1312

Ipſa etiam tacitis ſubterlabentia terris
Suppeditant undas flumina cæca ſuas.
Manat & inſolitis gemmans è fontibus unda,
Affulget miſeris civibus unde ſalus.
Expedit iſte pedes, captæ alter vincula lingvæ
Laxat, & inſvetos percipit aure ſonos.
Hic ſua per totos circumfert lumina campos,
Miraturq́ʒ ſuis ſe ſupereſſe malis.
Diffugiunt morbi, luctusq́ʒ dolorq́ʒ recedunt,
Et procul à toto corpore langvor abeſt.
Non mihi nunc latices Siloe, non Jordanis amnis,
Non Amana & Pharphar, non alia unda placet.
Ars ſtupet, & tantæ ſpectans medicamina dextræ
Hæret, & ipſa ſuas damnat egena manus
Ipſa etiam unda novas ſaliens in luminis auras
Stat ſuper, & vires non capit ipſa ſuas.
Hic ego nunc magni miror fundamina mundi,
Cogito & auctorem, qvi creat omne, Deum.
Dirigit hæc, totum nutu qvi temperat orbem,
Alme Deus, verbo ſtatq́ʒ caditq́ʒ tuo.
Si pars una ſolo debetur, at altera cœlo:
Dividit officium terra potusq́ʒ ſuum.
Macte animo, nunc, Docte FABER, *dum pectore celſo*
Alta ſupergreſſus ſidera, colla levas:
Qværis & unde ſuas arceſſant ſingula cauſſas,
Id qvoqʒ cauſſa tuæ maxima laudis erit.

M. Johannes Meiſnerus Torg. Fac. Phil.
Adjunct. & h. t. Decanus.

Ἔκφαντον κτέαρ ὅς τεῆς μέγιστον
κλειτῆς ἰδμοσύνης καλῶς ἔθηκας,
ἐξειπὼν πινυτῶς τὰ κρυπτὰ σεμνῶν
μυστάων, ποσάκις τεὶν καθέδρην
ἀμβαίνειν ἐδόκησε, νῦν σεῦ αὖτις
παφλάζειν φρένα γνώσεως γλυκίστη
ὁρμῇ θεσπεσίης, ἔδως πρόδηλον,
θείων ἶφι ὑπὲρ λόγων μάχεσθαι.
ἔμμεινον σφετέρῳ δρόμῳ, καὶ ἡδὺ
Δῶρόν σοι ἀρετὴ κλέος τ' ὀπάσσει.

M. Johannes Crûger Lubec.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-228 4° 1312

AD alta ferri dignitatum munia
Lauroq; dignum conſequi qui diſcupit,
Curam, & labores huc oportet dirigat,
Ut arduam ſtatim à tenellis ungvibus
Virtutis inſiſtat viam, tùmq; artibus
Pereruditis fingat ad recti decus
Pectus ſuum, tùm blandientis otii
Vitet venenum turpe, noxium. malum:
Nam per viam hanc compendiariam Viri
Summi, verendi, dignitate ſplendidi,
Flos corculorum Socrates, Iſocrates,
Plato, ac Platonis inſecuti ſecula,
Et inclytum nomen paraverunt ſibi
Et invidendum nominis decus qvoqve.
Jacobe Faber, *Patriæ naſcens honor,*
Dilecte Muſis, & mihi charum caput.
Tu ter qvater felix & amplius, cui
Apollo Phoebus contulit pleno ſinu
Dotes ſuas benigniores: eſt tibi
Connata virtus, indolesq; cultibus
Formata rectis, eſt & entheus vigor
Mentis, potens & ingenI vis ac ſagax.
Hinc per ſcientiarum & artium vada
Præceps ruis, nec in Sophiſtarum ſcholâ
Solùm acqvieſcis, ſpiritus ubi ignei
Fortis juventæ provocantur publicè,
Sublimiùs ſed pergere ardet, neſcia
Metâ capi, ſed aureas cœli vias
Inire mens gaudet qvoq; & DEO ſacrum
Penetrare limen, imò mirandas vices
Rerum, & ſtupenda facta maximi DEI
Extendere orbi latiùs avet: Benè eſt:
Namq; hac viâ ad Parentis inſulas brevi
Laudesq; conſurges. Vale decus meum.

Sanctioris amicitiæ ergò
בְּלֹא לֵב וָלֵב
f.
Johannes Nicolai Naxſchovius Danus.

Τοὺς γονέας τῷ ἰχνᾶσθαι ὗι δόξα μέγιστη.
Καὶ σὺ καλῶς ζηλοῖς μείζονα εὐδοκιμὸν.
Τῆς ἕνεκα σπουδῆς συγχαίρω ἔυμαλα γνωτῷ:
Εὐλογέω κάματον, τὴν προκοπήν τε λέγω
Ἔμμενε τῇ σπουδῇ, εὐζηλίᾳ ἔμμεν᾽ ἀδελφὲ;
Πάλλας μὴ ἀμελεῖ σεμνὰ βραβεῖα φέρειν.

Fratri fraternè poſuit
Johannes Faber Danus.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-228 4° 1312

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-228 4° 1312